DE HALLUCINATIONIBUS ALTERUM LATUS HABENTIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PSYCHIATRICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA HONORES

RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

ET UNA CUM THESIBUS ADIECIS

ANTE DIEM XIII CALENDAS FEBRUARIAS MDCCCLXIV

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS WAEGENER

RHENANUS.

ADVERSARIORUM MUNERE FUNGENTUR:

ALFR. ALBERS, DR. MED. ET CHIRURG.
PET. PFEIFFER, DR. MED. ET CHIRURG.
JOSEPH SIMROCK, DR. MED. ET CHIRURG.

BONNAE

TYPIS EXPRESSIT PETRUS NEUSSER.

MDCCCLXIV.

PRAECEPTORI CARISSIMO

OPTIMO DE ME MERITO

J. F. H. ALBERS

MED. DR. P. P. O. REG. PHARMACOL. APPAR. DIRECTORI

HASCE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quicunque ad hunc libellum legendum accessivit, ab eo mihi video veniam hanc esse petendam, ut indulgenter ac benigne de eo iudicet, quippe qui minime profectus sit a viro rerum ad sanandam insaniam pertinentium penitus perito, sed ab eo, qui huius generis primis tantum imbutus est elementis, cuius tamen studium ultima abhinc semestria hoc fuit, ut aliquando in hac medicinae parte aliquid strenue atque utiliter elaboraret. Magno enim commodo meo factum est, ut, cum iam auspiciis Professoris Doctoris Albers, praeceptoris singulari mihi pietate colendi, praecipuo quodam studio ad animi morbos duci me intellexissem, per ferias auctumnales anni 1862 in morodochio Sigburgensi, celeberrimo mente captorum hospitio, huius disciplinae accuratius cognoscendae opportunissima mihi fieret copia. Itaque primitias studiorum meorum hanc dissertationem, notabilem aliquem casum hallucinationis, quae

altera in parte cerebri posita erat, continentem esse volui. Quem ego casum ob singularem raritatem accuratissime observavi et idoneum esse putavi, cuius exemplo probetur, hallucinationum *sedem* atque *originem* non *in nervis periphericis*, sed *in ipso organo centrali* esse.

Multis abhinc annis de quaestione illa a viris doctis disceptari coeptum est, utrum hallucinationes in organis centralibus an in nervis periphericis eorumque in extensionibus haberent sedem et originem. Illam quidem sententiam Franco-Gallici quidam et Germanici viri docti, velut Esquirol, Leuret[1]), Ferrus[2]), Lélut[3]), Brierre de Boismont[4]), Griesinger, alii amplectuntur. At eorum, qui alteram defendunt opinionem, auctoritate quidem maximus est Henle. Priusquam autem hallucinationes alterum latus cerebri habentes, quod non raro apparent, nisi ab organo centrali non dicendas esse evidentissime ostendero, Henlii iudicium rem non ab omni parte ponderans reiiciam. Qui irritationibus tantum sensuum hallucinationes apparere quasi memoriam earum proponens perverse ostendit.

Quodsi quaerimus primo, quoniam visiones saepis-

---

1) cf. Fragm. psycholog. sur la folie pag. 186.

2) cf. Leçons sur les hallucinations (Gazette Medic., 1834, No. 48, p. 740).

3) cf. Observations de folie sensor. (Gazette Medic., 1833, No. 77, p. 842).

4) Des hallucinations p. 398.

sime cum hallucinationibus commutantur, quid sint **visiones**, quid **hallucinationes** et quomodo inter se differant, visiones esse imaginationes magnae intensitatis et vehementiae reperiemus. Commotionem notionum, Dr. Leubuscher in libro de animi morbis recte dicit, pertinere posse aut ad fibras, quibus rerum verarum notiones afficiantur, aut extensionem sentiendi nervorum concitari ut solido sensu.

Quae visa memorabilia ac notabilia, in quibus intensae imaginationes intrinsecus in fines periphericos sensuum nervorum transferuntur et ita oculis percipiuntur repercutiunturque, hallucinationes nominari solent.

Hallucinationes intensitate quadam visiones sunt; hae praecedunt et efficiunt illas. Dum autem in visionibus omnia in sede imaginationum, in cerebro ipso, fiunt, in hallucinationibus semper sensus intrinsecus simul ita comprehenduntur, ut imaginationes perverse intensae in sensuum organis fiant, ibi repercutiantur visaque lucida quasi videantur. Quae lucis refractio et informatio tanta similitudine est, ut vix discerni possit a veris efficique videatur rebus externis. Cum qui visa cernit propinquitatem simulacrorum vanorum praesagiat, is, qui hallucinationes habet, revera simulacra vana videt. Illi simulacra in cerebro tantum sunt, huic ex cerebro excedunt simulque sensibus apparent. In hallucinationibus notiones rerum ad veros sensuum errores quin ad veros sensus transeunt. Res vere audiuntur vereque cernuntur. Voces quae audiri videntur extrinsecus hallucinantes afficiunt. Non intra, sed iustis auribus audiuntur.

Quorum hallucinationes in sensu audiendi positae sunt, ii voces consanguineorum, amicorum, notorum au-

dire sibi videntur secum de negotiis, de rebus familiaribus, de aliis colloquentium; voces humanas acriter discernunt, ita ut modo viros, modo feminas, modo pueros loquentes audiant. Saepe etiam fit, ut voces audiant hominum sibi irridentium vel mala imprecantium; vel ut coelitus hostias humanas flagitari aut adventum praedici Messiae credant. „Sermones angeli aut spiritus, dicit Swedenborg, tam clare ab illis audiri videntur, quam sermones cum aliis; non autem ab adstantibus sed ab illis solis audiuntur.“

Figurae denique ab illis, qui hallucinationibus visus laborant, visae procul versari, ante oculos moveri videntur. Quas non animi sed iustis oculis se cernere illi putant; sequuntur, feriunt hasce figuras. Clare minimeque obscuris speciebus vel formis sorices, mures, rattos, aves, totas greges ovium, equorum, canum, multa milia militum, alia eius generis oculis suis cernere sibi videntur. Neque etiam hoc raro fit, ut oculis eorum observentur distinctae species hominum, animalium, regionum; fit, ut coelum, deum, inferna, diabolum sese conspicere putent, quarum rerum descriptiones pro aegrotorum intellegentia satis saepe ridiculae sunt. Ut vero videndi atque audiendi, sic etiam aliae velut odorandi gustandique hallucinationes fieri possunt, quin eius modi, in quibus cute sentimus. Quibus malis dediti homines figuras vident, ubi nullae adsunt; audiunt voces, ubi nequaquam quisquam loquitur; olfaciunt fercula nevique gustandi afficiuntur nervis minime concitatis extrinsecus. Quin tangi sibi videntur vel attrectari, cum nemo adsit. Hallucinantes sunt sui ipsorum adversarii, obtrectatores, corruptores; sed etiam ipsorum animos solatio confirmant atque erigunt.

Quodsi hallucinationes diligenter observaveris, eos sensus plerumque comprehendi solere, qui superiore tempore praeter modum adhibiti sint, facile reperies. Apparent nobis saepissime hallucinationes sensus optici in pictoribus, sensus acustici in iis, qui musicam diligentissime tractaverunt, odorandi denique ac gustus in hominibus delicatis. Atque omnino eos sensus, ex quibus clarissimae notiones maximeque definitae oriantur, facillime imaginationibus irritari optimo iure colligitur. Quare ea corporis organa, quibus videmus et audimus, hallucinationibus maxime exposita esse saepeque illas notiones, quibus homines superiore tempore valde studuerint, hallucinationis acerrimas apparere persuasum nobis habemus.

Spinello pictor saepe diabolum, quem superiore tempore pinxerat, videbat.

Mueller, qui celeberrimam Madonnae Sixtinae imaginem aere expressam composuerat, perpetua quadam animi tristitia affectus saepe Virginem sanctam videbat eamque loquentem audiebat. Posteriore tempore mania prorsus correptus est.

Vir ille notus, qui ad Bozii fabulas historiam aemulantes facies delineaverat deformiter fictas, has figuras quondam subito ante oculos moveri corporibus praeditas vidit. Quare tanto timore comprehensus est, ut ipse mortem sibi conscisceret.

Agricola quidam, qui mania correptus erat, saepe Christum illum, quem prius precatus erat in exiguo templo quodam deserto, miseriis afflictum videbat.

Mater quaedam moriunda filiae sese mortuam in conspectum esse daturam pollicita est.

Huc etiam pertinet, quod vir quidam iam moriens ab inimico se postulaturum esse poenas eumque, cum ipse iam esset umbra, persecuturum coniuravit.

Cuius modi res animis hominum quorundam valde infixa haerent et sunt semina, quae posita sunt in memoria paullatim crescentia, maturescentia olimque ad hallucinationes transitura. Quae homines quidam iamdiu oculis animi perceperunt, ea corporis tandem oculis cernunt. Neque aliter fit, ut notiones imaginationesque, quae ex praeceptis quibusdam aut doctrinis religionis ortae sunt, hallucinationibus ante oculos quorundam hominum concorporentur.

Variae sunt visiones atque hallucinationes eorum, qui fidem catholicam, aliae qui evangelicam, aliae qui Iudaicam profitentur. Longum est, cuique sensuum organo hallucinationes et exempla afferre. Sed liceat dicere simul corripi posse complures sensus. Cuius rei exempla multa sunt. Swedenborg sese angelos et spiritus, qui ipsi apparuerint, non solum vidisse et audivisse, sed etiam interdum digitis tetigisse affirmat. Qua ex causa revera esse spiritus colligendum esse arbitratus est. Ruf in libro suo de visionibus et hallucinationibus tradidit de femina quadam perpetuam animi tristitia affecta. Quae cum infeliciter nupta esset viro cuidam, cibis coquendis operam dans mortui caput in foco iacens *vidit.* Quod admirata cum deprehensura et depositura esset, caput illud evanuerat. Qua re maxime commota abituraque cum ad limen usque pervenisset, *brachio arripitur* neque se vertens quemquam cernere potest. Atque eodem temporis momento ipsa aliquem acclamantem auribus clare *audit: „Apage, aut morieris.“* Quae cum gererentur, doloribus vehementibus vertigineque in capite corripiebatur.

Vidua quaedam animi tristitia affecta saepius inprimisque per crepisculum aut per lunam totas pompas

funebres domum suam praetereuntes *videbat.* Quibus pompis qui aderant, eos clare orantes audiebat et olfaciebat distincte turis odores. Ad hoc accedit, quod saepe manu aliqua, quae cerni non poterat, feriretur simul audiens haecce verba: „*Utinam tu quoque ores.*" Quod visum si evanuerat, tanta erat irritabilitate, ut lumini appropinquans non raro subita defectione corriperetur. Cuius viduae filia postea eodem malo affecta est. Itaque saepe factum est, ut ab his duabus feminis eadem viderentur.

De quibus hucusque hallucinationibus diximus, binae in sensuum organis apparent aut in nervo optico aut in nervo acustico eodem tempore in utraque parte. Sed etiam inveniuntur hallucinationes, quae in altera tantum parte apparent et quarum exempla paucissima novimus. Praeter exemplum illud, quod Griesinger attulit, hoc loco nonnulla exempla evidentia a Micheio [1]), clarissimo illo artis maniae sanandae doctore allata proponantur. Ipsa illa exempla ideo gravissima sunt, quod iis fortasse, ut postea demonstrabo, comprobatur, organum centrale aliqua ratione affectum sit necesse esse, quoniam sensuum organa perturbata esse vir ille doctus investigare non potuit. Quod in hominibus mente insanis exponam, idque in hos etiam casus adhibendum esse contendo.

Micheio auctore [2]) Berbiquier hominem noverat, qui tum ipsum, cum pransurus erat, subito vocem et *dextera* quidem *aure* audiri sibi videbatur acclamantem sibi: „*Hodie vesperi cubitum tibi eundum erit.*" Quae verba,

[1]) cf. du délire des sensations par C. F. Michéa. Paris 1851.
[2]) des Farfadets. Avignons 1822.

antequam ipse responderet, quater repetita sunt. „*Nondum tempus est*“ ille personae, quae cerni non poterat, respondit. Deinde ire perrexit eadem vero verba continuo audiens: „*Hodie vesperi cubitum tibi eundum est.*“ Ac pransus domum se contulit, unde coenatus deversorium petivit, ut aliquot per horas amicorum ac notorum consuetudine uteretur. Sed ubique vox illa *dextera aure* audita eum persecuta est. Deinde aliam ingressus est domum, sed non desiit vox illa clamare: „*Cubitum tibi eundum erit.*“

Marcel Donat[1]) de viro triginta annos nato haecce tradidit. Cum ille ex morbo gravissimo convaluisset, araneas, lemures, monumenta sepulcrorum conspiciebat. Sed illa sensuum ludibria ad solum *oculum sinistrum* pertinebant. Sed alterum utrum oculum singulari morbo correptum fuisse Marcel Donat non tradidit. Dicit enim: „Il n'existait, soit dans l'oeil gauche soit dans l'oeil droit, aucun espèce d'altération parmi les humeurs et les tuniques.“ Maissoneuvio[2]) auctore adolescens quidam, antequam impetu epileptico corriperetur, rotam dentatam conspiciebat. Qua in re hoc mirum fuisse ipse ille auctor dixit, quod visum illud ad solum *sinistrum* oculum pertinuit, ad quod visum sensus quidam horroris accessit, cuius causa horribilis quaedam persona mediam rotam tenens fuit.

Ut vero videndi atque audiendi, sic etiam sentiendi sunt hallucinationes quaedam. Cuius rei exempla a

---

[1]) cf. Hist. med. mirab. lib. XI. c. 1, p. 199. Francof. 1513.
[2]) cf. Observat. sur l'epilepsie, p. 295.

Micheio allata sunt. Is cum aliorum tum centurionis Anglici mentionem facit, cui nomen Henri Bel erat. Qui cum linguae Germanicae peritissimus esset, a Germano quodam nobili exemplar „sermonum convivalium Lutheri“ (des propos de table de Luther) acceperat. Quod ab eo verti ille flagrantissime cupiebat. Papa enim Gregorius VIII. archetypa fere omnia delenda curaverat. Quod facere cum ille neglexisset, nobilis ille Germanus eum admonuit, quanta inde ecclesiae reformatae utilitas redundatura esset. Tum ille hallucinatione correptus est, quam ipse hisce verbis exposuit: „Sex hebdomadibus postquam librum accepi, de media nocte in lectulo eram plane exsomnis, cum iuxta me senem conspexi albo velamine opertum barbaque ornatum promissa, alba, densa, qui ad vela lecto praetenta accessit. Deinde dextram vellens auriculam haecce mihi dixit: „„Improbe, curmoraris librum illum vertere, qui e Germania tibi missus est? Efficiam profecto, ut brevi et otium tibi et voluntas sit.““ Quae cum locutus esset ille evanuit.“ Sed haec hactenus.

Iam transeamus ad quaestionem, qua ratione hallucinationes procreentur. Henle in libro suo de therapia rationali eas nisi sensuum organo irritato non provocari contendit. „Fiducia, impatientia, — dicit — timore, quibus impressionem vel vim aliquam expectemus, effici, ut notiones eius ad subiectivas affectiones tanta similitudine, ut vix discerni possint a veris, transeant. Saepe oculos, saepius etiam aures imaginationibus fortuitis ac spontaneis obsideri, quas depellere frustra conemur. Ad quod genus pertinere cantica, proverbia, verba linguarum externarum, alia. Nihil opus esse quam irritationem aliquam sensuum impetu san-

guinis effectam, ut haec ipsa, quae omni sono careant, in hallucinationes sonantes transeant. Verum esse concedo, si Henle censet, intensitate vel maiore vel minore commotiones sensuum nostrorum visa illa effici. Quod quam sit verisimile, e physiologia satis apparet. Constat enim, retina sola vel impressa vel impulsa luminum sensus quosdam provocari. Vis enim mechanica est, quae orbes illos lucidos provocat, quos digitis in oculum impressis oriri videmus idque in ea parte oculi, quae impressioni a diametro opposita est. Ad id vero genus pertinent praeterea scintillae, quas oculo vehementer percusso cernere nobis videmur, orbiculique lucidi oculis celeriter circumactis orientes, qui a nervo optico distorto originem suam repetunt.

Ut vero nervus opticus aptus est ad reactionem contra quamque irritationem, ita plane eodem modo nervus acusticus. In hoc enim vi mechanica sensus clangoris ac sonitus provocantur. Quibus sensibus irritatis notiones nostras vel imagines ad hallucinationes transire non negabimus, sed dubitari non posse, quin illis tantum quasi instrumentis adhibitis hallucinationes procreentur, arbitramur. Postea exemplis in iis, qui mania correpti erant, de onstrabo, organum centrale simul affectum eundemque statum etiam in homines mente sanos esse transferendum. Sed prorsus constat, quae Henle contendit tantum ad homines mente sanos, fortasse etiam ad aegrotantes singulis partibus corporis adhiberi posse. Ut Henlii animadversionem corigere studeam, hanc propono sententiam, hallucinationes exstare posse in hominibus mente captis, quorum aut cerebrum solum aut cerebrum et una eius organa sensuum affecta sint. Quod cum Henle contenderet, sine dubio tantum status ad normam se habentes putavit. Qua ex re elucet, quam sit periculosum ex sana cor-

poris affectione ac normaliter se habente ad affectionem aegram colligere. At factum esse, ut nullo organo laeso sensuum organis non irritatis cerebrum nec praeter id ullum organum, quantum quidem a medicis observari poterat, morbo affectum esset, exemplo demonstrabo, quod in morodocheo Sigburgensi ipse diligenter observavi. Sequatur iam exemplum:

Guilelmus Wirtz.

Anamnesis.

Quadraginta sex annos natus, textor sericarius, nulla ad insaniam dispositione hereditaria, parentibus usus erat iracundissimis facillimeque ad iram commotis. Ipse e reliquis liberis animi iracundia ac malitia insignis erat. Bona tamen memoria magnaque diligentia ac docilitate fuisse dicitur. Abusus veneris vel onaniae nunquam compertus fuit. In matrimonio simpliciter ac religiose vivebat muneribusque suis strenue fungebatur. Antequam mentis perturbatio oriretur, homo ille nunquam morbo ullo gravi laboraverat, quantum quidem e libris actorum intelligi potest. Sed mentis perturbationem molestiae hypochondriacae antecesserant. Ubique ab hominibus irrideri ac contemni sibi videbatur. Ipsa insania initium cepit a doloribus capitis et laterum, a strepitu ac tinnitu in sinistra aure, a doloribus articulationum. Praeter multas hallucinationes in sinistra aure hac fixa idea vexabatur, ut putaret se continuo lemures aliaque portenta conspicere, quae se persequerentur ac corripere studerent.

STATUS PRAESENS.

Inquisitione facta aegrotus statura media esse ap-

paruit, musculis satis firme excultis. Cranii abnormitas nulla deprehendi potuit. Aures frigidae ac pallidae erant. Coniunctiva palpebr. anaemica. Pondus centum quadraginta quinque pondo. Pulsus radialis ac Carot. stantis LXXX. Linguam patiens protendere poterat uti ne non contremiscentem. Tunicae mucosae cavi oris normales erant. Pupilla sinistra maior facta videbatur dextra. Inquisitio physicalis nihil abnorme exhibuit, sed omnia normalia apparuerunt. Pulmones et cor normali magnitudine erant. Pulsus cordis regularis erat. Sonus eius purus, Hepatis sonus raucus a septima costa ordiebatur et ad undecimum finem habebat. Venter vero satis tumidus erat, sonitus tympaniticus brevis. Musculi ventris satis intenti esse videbantur. Palpatione patiens nullos dolores sentiebat. Genitalia normalia structuraeque reliqui corporis respondentes. Cutis ubique arida. Sensibilitas et mobilitas bona; item somnus, appetitus, alvi deiectio.

DIAGNOSIS:

Insania hallucinatoria.

THERAPIA,

ordo ratioque perturbationis animi:

In instituto cum commoraretur patiens continuo de frontis doloribus, tinnitu in sinistra aure, in qua hallucinationes sese coercebant, quamvis speculo auris abnormitas ulla inveniri non posset. Homines audiebat se laudantes, vituperantes sibique maledicentes. Ex quo cum causa morbi quaereretur, subito sibi in scrobiculo cordis ortum esse ignem mihi dixit, qui in pectus collumque diffusus sit.

Recepit:

Argenti nitrici *scrupulum dimidium,*
Succi liquiritiae *drachmam unam,*
Conspergantur Cinamomo
ut fiant pilulae Nro. XL.

D. S. Mane et vespere una pilula sumenda est.

Tinnitus cantusque in sinistra aure brevi intermissi sunt. Itaque pilulae repetitae sunt. Post aliquantum temporis patiens omnes, qui secumerant, notos esse putabat ex sua urbe patria ortos, liberos suos esse sibi videbatur. Aliquando cum noctu vigilaret manum frigidam in fronte sensit, quare domi aliquem mortuum esse putavit. Qua ratione medicus eum tractare pergebat additis negotiis aptis adhibitisque viribus physicis.

Interdum etiam quattuor sanguissugae auriculae sinistrae applicitae sunt.

Post aliquid tempus cum exemplastrum Cantharidum in cervicibus et post aures habuisset, adeo restitutus erat, ut sanatus dimitti posset.

Quem casum diligenter observanti clarissime elucet, necesse esse singulari organo corporis non aegrotante organum centrale viri illius affectum esset. Atque nisi vir sanatus ex morodocheo dimissus esset, dubium non est quin futurum esset ut in mortui cerebro commutationes anatomico-pathologicae repertae essent.

Sed etiam hallucinationes apparent, quibus non solum organum centrale, sed etiam organum sensus

aegrotat. Esquirol peretissimus ille clarissimusque doctor artis maniae sanandae casum enarravit, qui huc egregie spectare videtur. Mercatorem quendam dicit, post quam omnibus muneribus strenue functus sit, anno quadragesimo quarto amaurosi correptum esse. Quem virum aliquot annis post mania invasit. Animus eius mirum in modum aestuabat, et ipse clara voce cum hominibus colloquebatur, quos audire ec videre sibi videbatur. Res saepe videbat maxime mirabiles magnamque persaepe e visionibus suis capiebat voluptatem.

Alter quidam casus de muliere Iudaica narratur. Illa anno MDCCCXXXVI in morodocheo fuit Parisiaco, cui nomen est Salpétière. Duo de quadraginta annos nata mania correpta est, simulque erat saeca. Nihilominus mirabilissima quaeque videbat. Quae cum subito mortua esset, cadavere secto nervi optici toti atrophici exhibiti sunt.

Eadem est ratio hominum mente insanorum simulque surdorum.

Loquentes audire sibi videntur. Erant in eo, quod modo diximus, morodocheo duo homines surdi, quorum delirium hac una in re positum erat, ut die ac nocte diversas personas audirent, quibuscum altercarentur, qua re saepe ad furorem adacti sunt.

Quibus ex paucis exemplis, quorum multa afferre possum, efficitur, cerebro simulque sensuum organis aegrotantibus hallucinationes procreari.

Iam restat, ut denique opinionem Henlii omniumque eorum, qui cum eo consentiunt, reiiciam. Henle et qui ab eo stant contendunt, hallucinationes in nervis

periphericis et eorum in extensionibus neque in organo centrali ponnendas esse. Quam sententiam falsam refutare difficile non est. Hoc enim constat, hallucinantes ea, quae sensibus percipere falso sibi videntur, in aliqua parte corporis aegrotante illa collocare. Huc pertinet, quod saepe videmus, hallucinantes, cum ex genibus vel ex humeris vel ex brachiis arthride aut alio aliquo morbo laborant, musicam, voces, strepitum, mugitum, tinnitum, alia ex his ipsis aegrotantibus organis audire sibi videntur. Sed apparet, in illis sedem ludibriorum sensuum esse non posse. Unde optimo iure colligitur, hallucinationes, quae aegrotantibus organis sensuum apparent, item ad organum centrale esse referendas. Organum sensuum aegrotans irritationes suas morbis ortas transfert ad organum centrale, quare ita procreantur hallucinationes, ut irritatio morbo effecta ex cerebro ad organum sensuum aegrotans repercutiatur. Qua ratione recte colligi, hallucinationes alterum tantum latus habentes ostendunt, in quibus mente insani altera tantum aure, altero oculo hallucinantur, cum altera aure rectissime audiant, altero oculo bene videant, quoniam sensuum organa altera tantum in parte aegrotant. Casum hallucinationis alterum latus habentis, qui in morodocheo Sigburgensi observatus est, afferam:

Fridericus Schimpf.

Anamnesis.

Excubiarum praefectus triginta duos annos natus, maritus, oriundus Bendorpia (prope Merseburgiam), parentibus natus prospera valetudine gaudentibus neque animi morbo neque alio ullo vexatis.

Filius naturalis fuisse dicitur. A prima iuventute severa disciplina educatus est, sed cum et moribus esset mitissimis et ingenio excellenti artem fabri ferrarii egregie didicit. Neque tamen id opificium animo eius satisfaciebat, ita ut relicto illo rei militari sese dederet anno vitae vigesimo, ubi diligentia et obedientia praefectorum suorum amorem sibi peperit. Ac valetudine quidem usque ad id tempus prospera usus erat, donec anno 1848 typho acerbissimo correptus est. Ab ebriositate et voluptatibus libidinosis semper abstinuisse dicitur. Anno 1854 prima insaniae vestigia apparere coeperunt. Atque initium eius id fuit, ut hypochondriace torperet, lacunarque cubiculi fixis oculis spectaret.

Aliquando equo in templum aliquod plenum hominum vectus eos, qui aderant verbis castigavit, ut insania quadam correptus esse videretur. Inde ex eo tempore semper fixis ideis mysteriosae cuiusdam custodiae observationisque damnique magnetici cogitationum suarum vexatus est. Remedia somatica ob defectum indicationis nulla adhibita sunt. Quae vero ad mentem eius sanandam medici adhibebant, irrita erant, cum ob aegroti superbiam animumque inflatum, tum quia ille in ideis suis fixis pertinacissime perseverabat. Priusquam in morodocheum Sigburgense receptus esset, praeter animi perturbationem nullum vestigium, ut in actorum libris legitur, ullius morbi cerebri, neque dolores capitis, ver-

tigo, torpor mentis, neque epilepsia apparuisse dicuntur. Vultus et obtutus oculorum normales erant, nec ullum aliud aegroti organum aegrotabat. Lingua facilis, respiratio bona, ictus cordis normalis, appetitus bonus, somnus interdum inprimisque exarbationum tempore saepe perturbatus. Tempore paroxysmi atrociter et loquebatur et agebat.

STATUS PRAESENS:

Is igitur cum in morodocheum Sigburgense delatus esset, hunc statum praesentem exhibuit. Corpore fuit satis compacto, ossibus et musculis pariter excultis. Incessus eius firmus et rectus est. Caput, quod collo brevi satisque crasso cum corpore coniunctum erat, forma rotunda erat crinibusque obsitum brevibus beneque nutritis. Non eadem semper oculorum acies fuit, sed incertum perturbata videbatur. Pupillae impares ac dextera quidem paullum distorta. Reactio ad lucem normalis fuit. Oculo dextero neque figuram ullam decem digitos distantem numerare, neque omnino quidquam legere potuit. Inquisitione per spectrum oculare facta nervus opticus in duas partes divisus apparet, quarum altera commixta videbatur tanquam exudato. Dexterae auris membrana tympani deleta, ottorhoea. Reliquae tunicae mucosae pro colore cutis reliquae colore satis albo sunt. Functiones corporis satis regulares sunt, somno, appetitu, deiectione alvi integris. Munditiei semper amantissimus fuerat. Urinae et quantitas et qualitas normalis fuit. Pulsus et radialis et carot. firmus fuit ita ut structurae corporis responderet. Inquisitio thoracis physicalis omnia normalia exhibuit. Strepitus respirationis et pulsus cordis regulares fuerunt. Organorum ventris natura

normalis. Sensibilitas nusquam neque aucta neque imminuta erat. Pondus corporis vero fuit centum quinquaginta trium pondo.

De statu psychico haecce dicenda sunt:

Homo ille etsi sub finem eius temporis, quod Sigburgiae degit, taciturnitati indulgebat suisque se dabat cogitationibus, tamen erga eos, qui cum eo erant, nunquam morosus fuit. Nam etsi perraro colloquendi initium faciebat, tamen iis, qui eum interrogabant, respondere non recusabat. Communi etiam contubernalium lusui chartarum cum magno studio aderat idemque a me referente deprehensus est eius lusus particeps. Cum a medico interrogaretur, breviter quidem, sed recte respondere solebat. Deinde cum ex eo quaereretur, qua tandem de causa Sigburgiae commoraretur, hanc esse dicit, quod ibi inquisitio instituenda esset, num vacatio rei militaris sibi dari et munus aliquod civile sibi committi posset. Querebatur autem de vehementibus capitis doloribus, quos inde ex eo tempore, quo febri nervosa laborabat, retinuisset, quibus tamen *dextrum tantum capitis latus vexaretur.* Idem *dextra aure* voces, consanguineorum et notorum secum de rebus familiaribus colloquentium *audire sibi videbatur.* Quarum de hallucinationem natura doceri se libentissime patiebatur, quas quidem a morbo aliquo repetendas esse ipse concessit. Idem interdum hanc opinionem concipiebat, se in instituto illo ab influentia magnetismi liberandum esse. Atque a me referente interrogatus, num aut spem haberet, fore, ut in instituto illo ab influentiis illis liberaretur, vel num iam liberatus esset, id fieri posse pro certo

affirmavit. Mysteriosa vero curatione, de qua in illis, quae antea frequentaverat, institutis perpetuo querebatur, hocce loco liberatus esse sibi videbatur. Omnino quae in hoc instituto in eum conferebatur cura, ab eo valde laudabatur.

AETIOLOGIA.

Homo ille cum extra matrimonium natus et ob eam causam satis dure a primis annis tractatus esset, fieri potuit, ut iam pueri omni natura male afficeretur. Cum vero bona indole gauderet et animo impigro ac strenuo praeditus esset, suis ipsius viribus id efficere studuit, ut bene atque honeste vivere liceret. Quod quomodo facere deberet cum nemo esset, qui eum doceret, fortasse factum est, ut multis in rebus erraret atque opinio eum saepissime falleret, quibus rebus fieri non potuit, quin mens eius pervalde perturbaretur. Ac vanitate quidem eius animoque efflato, cuius causa haec fuit, quod pro statu suo ac conditione in satis altum locum ascenderat, causam ad aegrotationem collatam esse facile intelligas. Gravissima vero causa, quam in actorum libris ipsemet legi, sine dubio fuit magna illa mentis commotio, qua affectus est, cum militem quendam ob fraudationem damnatum duceret, et qua factum est, ut morbus erumperet.

DIAGNOSIS:

Insania hallucinatoria.

PROGNOSIS:

Prognosis infausta est, cum verisimile sit insaniam plenam adesse.

THERAPIA:

Cum medicamentorum somaticorum adhibendorum causa nulla esset, necesse erat illa ad solam mentem referrentur et quae huc spetant adhiberentur ambulationes sub dio factae, colloquia lususque ad animum exhilarandum instituta, alia. Cum vero continuo de dextrae partis capitis doloribus quereretur, aegroto funiculus crinibus contortus in cervice collocatus est. Quo facto vesperi frigoris impetu corripi solebat, quem sudor nocturnus sequebatur. Quare muneris in conclavi negotiis gerendis instituto vacatio ei danda erat, quia ne facillima quidem absolvere poterat. Saepe ira correptus erat contra curam magneticam, quae contra se adhiberetur minasque eloquebatur contra medicum, qui noctu secum ageret. Continuo etiam voces hominum notorum audiebat idque e dextra aure, qua revera surdus erat deleto tympano, et e qua perpetuo pus emanabat. Nunquam etiam desinebat de rheumatismo in diversis partibus corporis conqueri. Remoto setaceo somnus rarus, commotique perpetua fuit. Quoque anni vi memoriam minui querebatur.

Recepit:

Argenti nitr. *scrupulum dimid.*,
Pulv. rad. Althaeae *drachmam unam*,
Mucil. gumm. mim. *q. s.*
Conspergantur Lycopodio
ut fiant pilul. Nro. XL.

D. S. Mane et vesperi II. pilul. sumendae sunt.

Aliquanto temporis intermisso secuti sunt dolores ventris, defectus appetitus, saporis, febres, somnus rarissimus.

Recepit:

Saturat. Kal. conc. *drachmas duas*,
Natr. nitr. *drachmas duas*,
Aq. dest. *uncias sex*,
Syrup. flor. Aur. *unciam dimidiam*,

D. S. Post trinas horas ad cochlear sumendum est.

Quo remedio aliquoties repetito aegrotus satis male animo affectus est, multum sudabat, querebatur de doloribus digitorum pedum, multum hallucinabatur, idque sola dextra aure. In dies animus eius magis commotus, pallidum colorem exhibuit brevique, qui sanari non posset, dimissus est.

Oritur iam quaestio, num ex his hallucinationibus localiter apparentibus commutationes pathologicae in organo centrali iudicari debeant. Quae in organis sensuum pro certo habendae sunt. Sed num illae quoque hallu-

cinationibus in reliquis organis efficiantur, velut in lateribus, in ventre, in brachiis, diiudicare non audeo, cum rem sectione facta investigare non potui. Quam rem, ut doctrina medica multo locupletaretur, sectionibus eorum, qui hallucinationibus laborabant, accuratissime institutis investigari operae pretium esse mihi quidem persuasum est.

VITA.

Natus sum Carolus Waegener Coloniae anno millesimo octingentesimo trigesimo sexto die Martis vigesimo, patre Ferdinando Waegener, matre Margaretha e gente Italica d'Antognoli. Illum praematura morte mihi ereptum doleo, hanc optima gaudeo adhuc esse valetudine. Fide catholica educatus primisque litterarum elementis imbutus Coloniae, postquam octo annos gymnasium Coloniense frequentavi, maturitatis testimonium adeptus auctumno anni h. saec. LVIII Monasterium Guestphalorum me contuli, ubi philosophiae operam dabam. Inde anno MDCCCLIX ad hanc almam universitatem me contuli, civiumque academicorum numero adscriptus sum Rectore magnifico Ottone Jahn, Decano spectatissimo Busch, medicinae operam daturus. Interfui lectionibus horum virorum clarissimorum:

Albers, Bergemaun, G. Bischof, Binz, Busch, Kilian, Naumann, Noeggerath,

Pflueger, Pluecker, Saemisch, Schaaffhausen, M. Schultze, Treviranus, Troschel, de la Valette St. George, M. J. Weber, O. Weber, Wutzer.

Quibus viris optime de me meritis gratias hoc loco ago quam maximas semperque habebo.

THESES.

I. In tractandis morbis animi remedia psychica *sola* nihil valent,

II. Venaesectio in pneumonia non omnino reiicienda est.

III. Medico forensi saepe difficile est cognoscere, quo tempore infanticida pepererit.

IV. In eclampsia parturientium operatio „*accouchement forcé*" non est probanda.